



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

8. Explicatur probabilior solutio difficultatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

Christum liberè mortuum fuisse, non intelligunt certe de Christo vt Deo, de hoc enim quis posset dubitare? sed de Christo secundum naturam humanam, de hac enim loquebatur idem Christus cum dixit, *possum rogare Patrem, & ex libebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum*, quia voluntas diuina non poterat rogare, sed sola humana, & tamen per illam voluntatem, per quam poterat rogare Patrem, amplectebatur liberè mortem, & poterat illam vitare, vt constat ex prædictis verbis. Videantur alia plura Scripturæ, & Patrum loca apud Suarez in præfati *disp. 37. sect. 2.* qui latè probat, hanc libertatem non solum fuisse in Christo vt Deo, sed etiam vt homine.

Ratione etiam probatur, quia si libertas ad substantiam mortis conueniret Christo, propter libertatem voluntatis diuinæ, sequeretur, non posse nos agere gratias humanitati Christi, eo quòd mortem acceptauerit, sed soli diuinitati: nam in illo opere fuerunt duo beneficia diuersa, scilicet, quòd Christus moreretur, & quòd moreretur in his circumstantiis temporis, & loci, & posterus quidem debemus humanitati Christi, prius verò soli diuinitati; beneficium enim non debetur, nisi illi voluntati, qua confertur, & gratitudo fertur etiam ad voluntatem benefactoris; si ergo mors Christi quoad substantiam nullo modo orta est ex voluntate creata Christi, sed ex sola voluntate diuina, ad illam solum voluntatem refertur nostra gratitudo, ac per consequens non magis, nec alio modo ad Christum, quàm ad Patrem, & Spiritum sanctum. nam voluntas communis est omnibus personis, & omnes indiuisibiliter volunt quidquid volunt: non ergo debemus gratias humanitati Christi, eo quòd mori voluerit, sed solum, quia mori voluerit hoc potius instanti, quàm illo, cum tamen iam destinatus esset, & necessitatus ad moriendum.

Nec inuat quicquam, quòd ratione coniunctionis in eadem persona vtraque voluntas pertinet ad idem suppositum Christi. Nam vnitas personæ non debet confundere quæ sunt propria cuiusque naturæ: neque enim dicemus, deberi humanitati Christi, quòd fuerit creata, & tamen id debetur voluntati diuinæ Verbi, quæ est in ipso Christo. Sic ergo debet considerari voluntas moriendi, non per modum vnus, sed prout reuera est duplex voluntas, altera deitatis, altera humanitatis, vt constat quid singulis debeamus. Nam si essent duæ personæ diuersæ, & vna, nempe Princeps, obligaret Petrum debitorem ad soluendum mihi mille aureos; ipse autem Petrus obligatus, & necessitatus ad soluendum, anticiparet solutionem per vnam horam; certè non deberem illi gratias, pro illa pecunia, sed solum pro anticipatione solutionis per horam. Nec plus deberem eidem voluntati Petri, etiam natura Petri, & natura Principis esset vtraque in eodem supposito. nam operationes adhuc procederent eodem modo diuersæ à singulis naturis; ergo similiter in nostro casu non magis debebimus, nec laudare poterimus humanitatem Christi propter mortem, quàm si ea natura subsisteret in alia persona diuersa à persona Verbi. Debeamus quidem nunc illud beneficium Christo, non tamen Christo vt homini, sed vt Deo.

Exemplum autem de valore maiore, qui ac-

et fecit operibus humanitatis ex coniunctione ad Verbum, non est ad rem; aliud enim est, quòd opus humanitatis mereatur maius præmium propter excellentiam personæ; aliud verò, quòd ipsum opus sit melius, vel magis liberum humanitati. Illud quidem primum potest benè intelligi, quia præmium non debet commensurari solum cum honestate, & libertate operis, licet illam etiam requirat, sed etiam cum dignitate, & magnitudine personæ præmiandæ, vt latè ostendimus supra *disp. 6. sect. 1.* Hoc verò posterius omnino repugnat, quia non potest dare honestatem actui, nec esse liberum operanti, quod non est illi voluntarium; quòd autem hic actus procedat à natura vnita hypostaticè Verbo diuino, non est voluntarium humanitati elicienti hunc actum, neque enim pendet ab illa hæc circumstantia, pendet quidem ab illa, quòd fiat hic actus circa tale obiectum, & ex tali motiuo; quòd tamen habeat hanc circumstantiam, vel quòd Deus simul possit velle oppositum quoad substantiam, non pendet ab humanitate, atque ideo non erit magis libera humanitati mors quoad substantiam, quàm si non esset vnita Verbo. Alioquin si libertas voluntatis diuinæ sufficeret, vt actiones humanæ essent magis liberae Christo vt homini, sequeretur, quod actiones illæ, quæ aliis hominibus non sunt liberae, in Christo essent liberae, & meritoria, propter libertatem voluntatis diuinæ, quæ est in Christo, & concurrat liberè ad illas actiones, & hoc ipsum dicendum esset, etiam si humanitas Christi ignorasset vnionem hypostaticam suam cum Verbo; nam tunc etiam illæ actiones procederent liberè à Christo vt Deo, & per consequens propter illam libertatem eiusdem suppositi posset laudari, & præmiari humanitas eliciens illas actiones, quantumcumque essent sine libertate humanitatis, quæ omnia sunt manifestè absurda, & à nemine conceduntur.

SECTIO VIII.

Explicatur probabilior solutio difficultatis.

Dvplex restat via ad soluendam hanc difficultatem. Prima facilis, sed singularis, dicendo scilicet, Christum non habuisse præceptum mortis obligans sub peccato, sed solum præceptum, seu mandatum Dei, quatenus extenditur ad ordinationem, directionem, & regulam superioris potentis obligare sub peccato, non tamen obligantis; sicut regulæ Religionum, & ordinationes Prælatorum diriguntur ad subditos; & tamen regulariter non obligant sub peccato; sunt verò materia obedientiæ, & quidem perfectioris obedientiæ, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 2. his verbis: *Voluntas superioris, quomodocumque innoscat, est quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia perfectior, quanto expressum præceptum obediendo præuenit voluntate superioris intellecta.* Iuxta quam doctrinam postea art. 5. explicat tres gradus obedientiæ, his verbis: *Sic ergo potest triplex obedientia distingui, vna sufficiens ad saluam, quæ scilicet obedit in his, ad quæ obligatur; alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis; alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit.*

100
Supposito præ
ferri quæstio-
ni.

S. Thomæ

Hoc

Solutio dis-
finitus.

Victoria.
Medina.
Lorca.
Palud.
Dionys.
Cisterc.
Albert.
Magnus.
Chrysol.

Cyrril.

Theophyl.
Euthym.
Anselm.

Enasio.

Præcluditur.

IOI

Suarez.
Vasquez.
Valent.
Fonseca.
Toletus.

Suarez.

IOZ

Solutio secun-
da.

Hoc ergo supposito, facillè dicitur Christum habuisse perfectissimam obedientiam, non tamen præceptum moriendi ex obligatione, & per consequens potuisse plenè, & adæquatè mereri in hac obedientia, quam sententiam acriter tenuit M. Victoria, teste Medina infra 9. 47. art. 2. & ipse Medina eam probabilem reputat in 1. 2. 9. 114. art. 1. & nunc eam latè docet M. Lorca in præsentis quæst. 19. disp. 63. & pro ea affert Palud. in 3. d. 12. quæst. 2. art. 3. Dionys. Cisterc. in 3. quæst. 3. art. 2. conclusio 6. Albertum Magnum cap. 3. de virtutibus, Chrysolomum hom. 59. & 75. in Ioannem in præcepti in Christo, sed dicit, vocari præceptum humano more, & hom. 28. in Epistolam ad Hebræos, in illa verba Apostoli, qui propositio sibi gaudio, infert Chrysolomus: licebat illi nihil pati, si voluisset. In eadem sententia est Cyrillus Alexand. lib. 7. in Ioan. c. 7. Et quamuis liber ille non sit Cyrilli, sed alterius, insinuat tamen ab eodem lib. 10. c. 20. Theophylactus item in cap. 14. Ioan. Euthym. in c. 10. Ioann. Anselm. opusculo de meditatione redemptionis cap. 3. & 4. & alibi sæpè.

Quòd si obiicias, Christum saltem habuisse præcepta naturalia, quæ sunt indispensabilia. Respondent facile, in eorum obseruatione non meruisse Christum, nisi secundum circumstantias maioris intensiois, durationis motiuorum, &c. quod in his præceptis non videtur habere inconueniens, dummodo in redemptione hominum, & passione saluetur, Christum meruisse, & fuisse liberum in ipsa substantia operum, quod in hac solutione optimè defenditur, & ideo non videtur mihi improbabilis.

Cæterum hæc solutio singularis est, (vt prædixi) & contra communem Theologorum infra quæst. 20. qui dicunt, Christum obligatum fuisse præcepto moriendi, vt docet Suarez ibi & disp. 43. sect. 3. Vasquez disp. 74. c. 4. Valentia in præsentis disp. 1. q. 19. p. 11. 2. Fonseca 6. Metaphys. c. 2. q. 5. sect. 12. Toletus in cap. 10. Ioannis, & alij communiter, quia Scriptura de præcepto, & lege simpliciter, & propriè loquitur. Ioann. 10. Hoc mandatum dedit mihi Pater. Ioan. 14. vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, & cap. 15. Sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Ad Philipp. 2. Factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ad Rom. 5. Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituntur multi. Psal. 39. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei; & alibi sæpè. Cum autem hæc omnia possint propriè explicari de lege, & præcepto obligante, satis erit non discedere in hoc à communi interpretatione, quia propriè, & in rigore loquendo, præceptum, & lex non reperitur, nisi in conscientia obliget ad aliquid mediatè, vel immediatè, vt cum communi probat Suarez lib. 3. de legibus, c. 22. Imò ipsum nomen præcepti, & verbum præcipiendi, videtur probare semper, si materia sit capax obligationem sub peccato mortali, de quo videri potest idem Suarez cap. 26.

Secundo ergo solutio sit, Christum Dominum etiam posito præcepto liberè obediisse, quia præ-

ceptum non obligabat ad acceptandam mortem in hoc instanti; quare in hoc instanti non habebat Christus necessitatem aliquam physicam patiendi, non dico solum, non habuisse necessitatem patiendi tunc, quia si reuerà habebat iam tunc necessitatem patiendi postea, non meruisset per passionem simpliciter adæquatè, sed per anticipationem acceptationis, & passionis, vt supra vidimus; sed dico, non habuisse necessitatem physicam patiendi tunc, nec etiam postea; non quidem patiendi tunc, quia præceptum non erat patiendi, vel acceptandi tunc, sed nec habebat necessitatem physicam patiendi postea, quia licet iam esset positum præceptum, & in sensu composito præcepti non posset non pati; poterat tamen ipse Christus postea tollere illum sensum compositum, & impetrare à Deo præcepti dispensationem, & mortem simpliciter impedire, iuxta illud Matthæi 26. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? quibus verbis Christus correxerat ignorantiam Petri, qui videbatur sentire, Christum non potuisse vitare passionem, & crucem; docuit autem eum Christus, se vtiq; posse tunc illa omnia impedire, & impetrare à Patre, quicquid ad hoc esset opus; ergo poterat impetrare ablationem præcepti, nam stante præcepto non posset impetrare eius violationem. Nec dici potest Christum ibi loqui de potestate, quam habere eius diuinitas, sed de potestate, quæ adhuc erat in humanitate, de hac enim, & non de diuinitate verum erat, posse rogare Patrem, & de hac probat liberè omnino pati, quia poterat tunc passionem impedire; sic enim notauit Chrysolomus. adductus à S. Thom. in Catena, super illa verba, non solum autem (inquit) mitigauit discipulis per comminationem pena, sed etiam ostendens, quando voluntarie hoc sustinebat. Probat autem, se voluntarie, seu liberè sustinere, quia poterat tunc ea omnia impedire; in quo etiam sensu verum est, quod alibi dixerat, Ioan. 10. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo. Vbi vides, vtrumque coniungi, scilicet mandatum Patris, & potestatem non ponendi vitam, quia scilicet poterat suis precibus tollere mandatum: & in hoc etiam sensu accipitur illud Isai 53. Oblatus est, quia ipse voluit, quia scilicet poterat non velle impedita obligatione præcepti.

Hæc solutio non alio modo probatur, quam ex impugnatione aliarum, & quia hoc modo conciliatur optimè libertas cum obseruatione præcepti; non enim potest maior libertas excogitari, quam ita acceptare mortem, vt posset non solum tunc, sed nunquam eam acceptare: hoc autem modo eam accepit Christus, neque enim necessitatem habebat ex præcepto acceptandi tunc, vt suppono, neque necessitatem habebat physicam acceptandi tempore sequenti, quia licet haberet præceptum, poterat Christus tempore sequenti impetrare facile ablationem præcepti; ergo similiter & absolute poterat nunquam acceptare mortem.

Obiicias primò diuinare nos in hac solutione, dum

dum dicimus, præceptum non fuisse de acceptanda morte illo instanti, vel Deum postea ablatum præceptum, si Christus peteret.

Respondeo, quoad primam partem non dicimus aliquid singulare, sed convenimus cum communi sententia, docente, præceptum non fuisse de omnibus circumstantiis, temporis, loci, &c. quia alioquin non maneret libertas in Christo, & quia nunquam solent imponi præcepta eo modo. Secundam verò partem colligo ex verbis ipsius Christi, dicentis, se scire animum Patris propensum ad impediendam eius mortem, si ipse Christus peteret; ex quo infero, auferendum fuisse tunc præceptum, quod iam erat positum, si Christus peteret; alioquin quomodo impediretur mors.

Obiicies secundo, sequi ex hac solutione, Christum meruisse formaliter per voluntatem non petendi ablationem præcepti; non verò per voluntatem implendi præceptum, formaliter loquendo. quia stante præcepto, non poterat non obedire; ergo formaliter non meruit per obedientiam, hæc enim supponit præceptum non ablatum. Consequens autem videtur contra verba supra adducta ad Rom. 5. ita per unius obedientiam iusti constituntur multi. ubi obedientia tribuitur meritum Christi.

Respondeo, aliquis fortasse non multum curaret de sequela, sed diceret, sufficere mortem Christi, & voluntatem moriendi, & obedientiam esse meritoriam denominatiue ex voluntate libera Christi, qua voluit non petere ablationem præcepti. Sed quidquid sit de hoc, nego sequelam, & dico voluntatem ipsam moriendi, & actum obedientia fuisse formaliter meritorium, & liberum; quod ex supradictis facile conitatur; quando enim posita fuit hæc voluntas moriendi, non præcedebat aliquid, ratione cuius Christus necessitaretur physice ad volendum mori. nam præceptum non obligabat ad volendum eo instanti, sed hoc, vel illo tempore; & licet obligaret pro tempore sequenti, sed tamen cum præceptum nunc existens posset tolli tempore sequenti ex precibus Christi, non tollit nunc physice potestatem non moriendi, quia adhuc manet potentia in Christo ad tollendum postea præceptum, & eius obligationem; ergo non est, cur illa volitio mortis nunc habita non sit formaliter, & adæquate libera, & meritoria, & hoc quidem non solum quoad circumstantias; sed etiam quoad substantiam mortis, quia illud est simpliciter, & vndeque liberum, quod ita ponitur, ut stantibus omnibus antecedentibus potuerit non poni; sed Christus ita mortuus est, ut postis omnibus antecedentibus potuerit non mori; illa enim quæ antecederant, erant præceptum adhuc non reuocatum, & voluntas Christi adhuc durans non petendi dispensationem; hæc autem omnia non inferebant infallibilem mortem, quia ex his non sequitur, quod mori deberet nunc, ut constat, cum non esset præceptum moriendi nunc: neque etiam inferunt infallibiliter moti postea, quia adhuc posset postea petere dispensationem, & impetrare reuocationem præcepti; ergo nihil antecedit nunc, cum quo non posset coniungi omisio mortis.

Hæc eadem ratione dixi in materia de actibus humanis, actum imperatum habere propriam, & Card. de Lugo de Incarnat.

formalem libertatem, ac meritum distinctum ab actu imperante, quia nimirum actus imperans non præscribit, quod fiat imperatus in hoc instanti, sed cum aliqua temporis latitudine; non ergo necessitat ad habendum actum imperatum; quia nunc possum non eum habere, licet detur imperans (non enim determinat fieri nunc) postea verò possum cessare ab imperante; ergo nunc imperatus sit adæquate, & formaliter liberè, quia nunc habeo plenam potestatem nunquam habendi illum actum imperatum. Sic etiam in præsentia de obedientia Christi dico, fuisse formaliter liberam, & meritoriam, quia in plena Christi potestate erat, nunquam eam habere, poterat enim non eam tunc habere, cum præceptum ad hoc non cogere; poterat etiam postea non habere petendo cessationem præcepti; ergo ita obediuit de facto, ut posset absolute nunquam obedire.

Dices, quando Christus acceptauit mortem, iam præcedebat in actu primo præceptum de acceptanda morte; sed cum illo præcepto non poterat coniungi negatio totius acceptationis nunc, vel postea à Christo habenda; ergo non procedit acceptatio liberè quoad substantiam; supponit enim aliquid, cum quo non possit coniungi negatio omnis acceptationis licet possit coniungi negatio acceptationis hoc instanti elicitæ.

Respondetur facile ex dictis, distinguendo minorem: cum illo præcepto, prout durante etiam pro tempore sequenti non poterat coniungi negatio totius acceptationis, concedo: cum præcepto durante vsque ad hoc instans non poterat coniungi negatio totius acceptationis vilo tempore habenda; nego; poterat enim illud præceptum durare vsque ad hoc instans, & Christus nec acceptare nunc, quia præceptum ad hoc non obligabat, nec acceptare postea, quia poterat postea petere dispensationem præcepti, & ita coniungerentur præceptum durasse vsque ad hoc instans, & tamen nunquam acceptari mortem, non tamen posset coniungi, quod præceptum duraret etiam pro tempore sequenti, & mors non acceptaretur; ceterum de facto non præcessit acceptationem duratio præcepti pro tempore sequenti, sed solum præceptum durans pro tempore hoc vsque ad hoc instans, atque adeo non præcessit aliquid, cum quo non posset coniungi negatio totius acceptationis.

Dices iterum, quid si obediisset Christus in ultimo instanti, pro quo ultimo urgebat præceptum.

Respondeo, tunc fuisset obedientia libera in primis quoad circumstantiam intensionis, motui, &c. Deinde quoad substantiam esset libera ad minus libertate denominatiua proueniente à voluntate Christi præcedenti, quia noluit petere cessationem præcepti, quando potuit; de facto tamen non expectauit Christus illud instans ad obediendum, quia voluit eo modo obedire, quo posset ipsa obedientia esse formaliter, & adæquate meritoria, tam quoad substantiam, quam quoad circumstantias.

Sed contra hoc obiicies tertio, quia Christus non solum habuit de facto præceptum moriendi utcumque, sed moriendi pro salute hominum, atque adeo applicandi mortem suam pro nobis: ad hoc autem requirebatur acceptatio mortis,

107
Eusebio.

Præcluditur.

108
Alia euasione
Remouetur.

109
Obiectio ista
ita.

mortis, & applicatio illius pro nobis, quae esset meritoria, & libera. nam acceptatio mortis necessaria nihil nobis prodesset, cum non esset meritoria; ergo applicatio, & acceptatio facta in ultimo illo instanti pro quo iam ultimo urgebat praecipuum, non sufficeret ad implendum praecipuum, nam praecipuum erat de acceptance mortis vtilis ad nostram salutem; acceptatio autem tunc habita esset necessaria, & per consequens non esset vtilis ad promerendam nostram salutem; ergo non impleteretur praecipuum per illam acceptationem: debuit ergo acceptare mortem ante illud instans ultimum. Tunc autem redire videtur idem argumentum de quocumque alio instanti antecedenti. nam si ex praecipuo debebat acceptare mortem ante ultimum instans; ergo nec esset etiam libera, sed necessaria acceptatio facta in penultimo instanti, non enim posset non esse sine peccato, & per consequens non poterat Christus omittere acceptationem in illo instanti; unde fit illam etiam acceptationem non fore vtilem ad merendam nostram salutem, cum non esset libera, atque ideo debuisset Christum habere acceptationem in alio instanti priori, de quo redit eadem difficultas. nam neque in illo fuisset libera, propter eandem rationem, quia erat debita, nec poterat sine peccato differri; ergo non explicatur sufficienter Christi libertas de facto per illam latitudinem temporis, intra quam poterat differre impletionem praecipui.

110
Dissoluitur.

Respondeo, in primis in sententia communi componente tempus ex instantibus, & partibus in infinitum diuisibilibus, facile id explicari posse, dicendo fuisse praecipuum obligans Christum ad acceptandam mortem ante vicimum instans horae, v. g. ita ut acceptatio facta in ultimo instanti horae non sufficeret ad implendum praecipuum: ceterum ante illud instans, quocumque alio instanti fieret, fuisset libera, quia inter illud instans, & ultimum mediabat tempus, & per consequens mediabant alia infinita instantia, in quibus potuisset adhuc impleri praecipuum de acceptance elicienda; nunquam ergo venit ad aliquod instans ultimum in quo possit impleri praecipuum, ita ut non possit etiam postea in alio instanti impleri.

111

In sententia vero aliquorum, qui dicunt, tempus componi ex instantibus finitis, & immediatis, dici potest, praecipuum non fuisse omnino determinatum moriendi, sed vel moriendi, vel petendi dispensationem; quare quotiescumque ante ultimum instans acceptaretur mors, acceptatio erat formaliter libera, & vtilis ad redemptionem nostram, quia non erat tunc necessaria acceptatio, sed vel acceptatio, vel peticio dispensationis, quorum alterum sufficiebat ad implendum praecipuum. Vel denique facilius dici potest, in ultimo etiam instanti potuisse peti dispensationem praecipui, quia licet non possint in eodem instanti esse praecipuum, & abrogatio praecipui; in illo tamen instanti prius quam intelligatur praecipuum perseverans, intelligitur Deus indifferens, & potens dispensare, & non dispensare, & pro eodem signo Christus potest petere à Deo dispensationem, qua posita, praecipuum, quod intelligebatur indifferens ad manendum, vel non manendum illo instanti, in-

telligitur ablatum pro signo posteriori. Si ergo in illo etiam ultimo instanti Christus potuit petere dispensationem praecipui, sequitur, quod acceptatio mortis in illo instanti habita, sit libera, cum posset in eo instanti non poni, sed peti dispensatio praecipui, & per consequens illa acceptatio mortis erit vtilis ad nostram redemptionem.

Obiicies quod, ergo Christus non meruit in obseruatione praecipuorum naturalium, quorum dispensationem non poterat petere à Deo.

Respondeo, in horum praecipuorum obseruatione non fuisse Christum liberum quoad substantiam operis, sed quoad circumstantias intensiois, motiuo, &c. quae indifferencia sufficit ad aliquod meritum. At vero in opere redemptionis maior libertas requiritur, vt supra vidimus: nam Christus non poterat mentiri, v. g. & ideo non meruit, nec moraliter erat dignus laude, eo quod simpliciter non mentiretur, sed quia intense amabat veracitatem, vel ex meliori motiuo, &c. At vero in obedientia mortis non solum meruit, & laudatur, quia mortuus est hoc tempore, & loco, sed quia mori voluit simpliciter, vt supra ostendimus.

Sed contra obiicies quinto, quia obligatio moriendi pro hominibus videtur in Christo pertinere ad praecipuum naturale charitatis: videtur enim, suam mortem necessariam esse ad salutem humani generis, tenebatur proculdubio subire illud dispendium propriae vitae breui recuperandae ad vitandum damnum irreparabile summi generis, alioquin in aeternum perituri; si ergo Christus circa praecipua naturalia solum habuit indifferenciam quoad circumstantias, idem dicendum erit de praecipuo moriendi.

Respondetur, negando, habuisse Christum hanc obligationem naturalem patiendi pro hominibus; haec enim ad summum oriebatur ex decreto Dei volentis hoc modo, & non alio liberare homines. Quare sicut Christus poterat impetrare dispensationem praecipui postuui moriendi, sic etiam posset impetrare à Deo, quod acceptaret aliud genus satisfactionis pro salute hominum, cum non esset hoc difficultius, quam illud.

Sexto obiici potest, quia Christus non solum non poterat peccare, sed nec poterat elicere actum minus perfectum, omisso perfectiori. Sed perfectius opus erat obedire praecipuo mortis, quam petere dispensationem, seu obligationem praecipui; ergo non poterat illam petere, neque ex hoc capite saluatur bene eius libertas ad merendum. Haec obieccio tangit aliam grauem difficultatem de libertate Christi ad opus minus perfectum, quam examinabimus *sect. 10.*

SECTIO IX.

Respondetur ad argumenta cuiusdam auctoris moderni contra nostram sententiam?

HAnc meam sententiam sic explicatam, quam multis retro annis publice tradidi, refert P. Ioannes Antonius Velasquez in suis commentariis nunc in lucem editis Epistolae ad